Morbio 22 (23)

Nos Consilium Illustrissimi principis domini nostri Ducis Sabaudie etc. Citramontes residens. Notum presencium
serie facimus universis. Quod pro parte dilecti nostri Thome de ferreriis de Savilliano nobis fuit humiliter supplicatum ut cum ipse desideret faciente domino de
cetero sinceriter vivere vereaturque ne vigore consuetudinis ducalis et generaliter introducte hactenusque observate inconcusse qua bona mobilia nomina et credita
usurariorum sub dicione prefati domini nostri decedencium ad ipsum dominum nostrum pleno iure noscuntur pertinere heredes ipsius Thome molestentur in futurum
eundem super hoc clementer pertractare dignaremur. Quia siquidem supplicatione audita affectantes quoscumque iuridicioni nobis commisse suppositos nedum
in temporalibus protegere sed etiam ab illicitis retrahere salubriter cupientes ne in pristinum decetero scrupulum relabantur huic supplicationi inclinati
premissis ex causis ac certis aliis nos ad hoc inducentibus maxime quia Thomas prelibatus cum prefato domino nostro alias propterea composuisse monstratur
litteris patentibus ipsius domini nostri eius sigillo sigillatis ac signo Gulielmi bolomerii eius secretarii signatis datis Thaurini die quinta novembris anno
currente Mccccxxvi° ad summam quinquaginta florenorum pp. Idcirco omnia iura omnesque actiones prefato domino nostro nunc vel in futurum competentia
et pertinentes ex vi huiusmodi consuetudinis in bonis mobilibus nominibus et creditis eiusdem Thome occasione fenoris et contractuum usurariorum
quos exercuisse quomodolibet reperiretur ab omni lapso tempore usque ad diem presentem duntaxat eidem Thome remittimus vice et nomine prefati
domini nostri ac quitamus per presentes pro et mediantibus quatercentum florenis pp. ab eodem receptis manibus Antonii lepini clavarii curie nostre
qui de eis dicto domino nostro legitime tenebitur computare. Mandantes propterea procuratori fiscali vicario et iudici Savilliani et ceteris offi
ciariis prefati domini nostri citramontes ubilibet constitutis presentibus et futuris quatenus huiusmodi nostras remissionis litteras eidem Thome et suis here
dibus protinus observent illesas. Nec ipsos occasione iurium predictorum dicto domino nostro in bonis mobilibus creditis et nominibus ipsius Thome
ratione qua supra pertinencium vivente vel sublato de medio ipso Thoma inquietent vel molestare attemptent quovismodo. Datum
Taurini die decimatercia mensis augusti. Anno domini Millesimoquatercentesimotrigesimotercio

Per Consilium presentibus dominis
O. domino Dyvione
N. de crecherello
O. de costis et
Vouterio Chabodi
Advocato fiscali

Rs

Alport

Pelletat

Predictos quatercentum florenos habui et
recepi vice et nomine antedicti lepini
clavarii curie residentis consilii ego
Gaylinier

[illegible]

1433 19/VIII

Morbio 22 (23)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1855107538-15